



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 113. Concordia Florentinorum cum Rege Carolo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Commiffarii, eoquod Carolus se urbem Sæcul. XV.
 tanquam jure belli partam retenturum, A.C. 1494.
 ac Ministros se absente jus dicturos ibi-
 dem institurum minitaretur, jamjam in
 eo fuissent, ut pulsatis tympanis, infla-
 tisque tubis ad communem direptionem
 signa dari juberent: quinimo Petrus Cap-
 ponius ditissimus Florentiæ Civis, nec-
 non olim in Francia Legatus, ac Floren-
 tinorum Deputatorum princeps, cum
 Petro Medicæo infensus esset, li-
 bellum, in quo Regis postulata scripta
 erant, e scribæ regii manu abripuerat,
 illoque dilacerato voce concitata dixerat:
 quandoquidem tam iniqua ac Patriæ
 meæ injuriosa postulant Galli, hinc æris
 campani sonitu ad arma Florentinos con-
 vocabo, spe fretus populares meos se
 suaque cum propriæ vitæ dispendio de-
 fensuros. Intrepida Capponii libertate
 permotus Rex, ad mitiores descendit
 conditiones, nec abs re; extrema enim
 quæque merito sibi timere poterant Galli
 a populo furente, ira accenso, ac jurium
 suorum tenacissimo.

§. CXIII.

*Concordia Florentinorum cum Rege
Carolo.*

Ergo Florentinis æquiores conditiones
 proponuntur, fuitque conclusum. I.

Q q 3

Regi

Sæcul. XV. Regi numerarent centum viginti aureorum millia, quorum quinquaginta mox, elapso autem trimestri alia quadraginta millia, reliqua demum sexto post mense solvere pollicerentur; II. Respublica cum Rege foedus iniret, ejusque sub auspiciis avita sua frueretur libertate, & pro lilio rubro, quod Florentinorum insigne erat, Gallica lilia sumeret: III. Regi non modo præfatas urbes, Pisas, & Liburnum cederet, sed & ceteras, quas Petrus Carolo jamjam tradiderat; IV. Rex præstito ad aram S. Joannis jurjurando, ut inquit Comminæus, polliceretur, se omnes hasce urbes redditurum quarto mense a capta Neapolitana urbe, aut si in Gallias reverteretur, proximo, quo poterit, tempore. Præterea sancitum V. Irritetur sententia proscriptionis in Petrum Medicæum lata, adjecta tamen hac conditione, vi cujus nec ipse, nec ejus Fratres plusquam centum milliaribus Italicis Florentia abessent. VI. Concederentur Carolo duo Procuratores, quibus Senatam adire integrum esset.

§. CXIV.

Rex Florentia Senas profectus.

Hoc pacto utrinque sancito, ac juramenti religione firmato, Rex Florentia Senas contendit, ubi die vigesima octa-